Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31254
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

Pro certo noveris quia ministri sunt sathane cuius opera perversa exercent. Ipse dux illorum est, et omnis nequicie exemplis eos precedit, et secuntur eum per omnia opibus pessimus. Et dixi. Domine, que vel qualis est vita eorum aut fides? Respondit. Prava est fides eorum et opera peiora. Rursus dixi. Videntur in conspectu hominum iusti et laudantur quasi sint bonorum operum. Ita est inquit. Facies suas simulant quasi iuste et innocentis vite sint, ac per hoc multos trahunt et seducunt. Intrinsecus pessima sanie plenum est.

Celebrantibus nobis sollempnitatem beati Iohannis euangeliste, intenta eram orationi post vigilias matutinas, ac deprecabar dominum valida intentione cordis, ut secundum solitam benignitatem suam disciplinam vite continentium, quam in spiritu videram, michi aperire dignaretur. Sed et divinum euangelistam et angelum doctorem meum ut michi adiutores essent invocabam. Cumque orando lassata fuissem, remisi paululum oculos ad soporem. Et post pusillum repente expergefacta sum, et ecce angelus domini michi assistens sermonem quem desideraba inchoavit his verbis. Dico vobis o filii dei, o filii lucis, intuemini viam vitam quomodo floreat, et quam delectabile est currere per eam. Currite ergo et properate obviam sponso vestro qui vos expectat. Diligite castitatem et servate illi integritatem virginitatis vestre. Virgo ornata castitate, karitate, prudentia, humilitate, bonis virtutibus. Hec cum dixisset amplius non adiecit. Sequenti vero die cum de beatis innocentibus officium misse agere, ego sumpta occasione ex lectione apokalipsis que legebatur deprecata sum dominum meum qui tunc assistebat michi dicens. Domine si inveni gratiam coram te, dic obsecro michi. Quale est hoc canticum quod cantant beati martyres isti ante sedem dei et agni, sicut presens lectio testatur, aut quomodo secuntur agnum quocumque ierit. Et respondens ait. Quid me interrogas? Nunquam lingua super terram movit hoc canticum. Nichil unde tibi enarrabo. Quod autem interrogas quid est quod secuntur agnum quocumque ierit, hoc est quod in omnibus virtutibus que considerari possunt magno eum imitantur. In virginitate eum secuntur, que nullus est absque macula. Sicut et sanctus ille agnus sine omni macula est. Humiles et simplices et sine dolo fuerunt sicut et agnus. Patientiam in martyrio habuerunt in similitudine agni, qui nichil umquam inpatientie demonstravit in passione sua, qua peccatum mundi extinxit. Non sunt virgines neque sunt martyres illi qui tam prope agnum vestigia sequantur ut isti, excepta regina nostra que prima virginitatem suam mundam et inmaculatam domino custodivit. Ipsa vero egregia et beata istis martyribus speculum est omnibus sanctis virginibus, et multi eos secuti sunt.